

seri: per leg. 4. tit. 13. part. 5. inibi citat. prater animalia, predicta aratoria instrumenta &c. etiam servi pro cultura pradii rustici a domino detenti pignori nequibant, neque a quocumque iudice detineri, quapropter, cum hodie per colonos, agrive cultores ipsos, seu eorum famulos terrae cultura perficiatur, videtur, exceptionem eidem competisse, ideoque in carcerem detendi minime posse, dum per se agros colunt, verum hęc consideratio frustra in praesens proponitur, eo quod per leg. 25. §. 2. dumtaxat eis ex mense Julii cuiusque anni ad finem usque mensis Decembris exceptio conceditur: quocirca fit patens, leg. 4. servorum significationem stricte esse accipiendam, tamquam res ceteras servos considerando, vel illam vires amississe; sed utilitate, ex ipsamet cultura. proveniente, inspecta, nisi debitum, antequam huic exercitio se dederint, fuerit contractum, per totum anni circulum leg. 28. ejusd. tit. 2. lib. 4. Recop. exempti existimabantur: ex quo venit per consequentiam, praedictam reg. prog. 27. Maii declarationem solum effecisse, ut majorem virtutem lex 28. (de ea non remiscitur, nec est mirum: omnia in scinio peccoris sui Regem censetur habere) reciperet, absolutamque executionem obineret, non vero novi aliquid stantisse.)

SEPULTURA.

SUMMARIUM.

- 1. **T**ripliciter sepultura sumitur: eidem quis locus: quid caemeterium importet: cur olim in eo, nunc vero in ecclesiis sepeliuntur: cui liceat in ecclesia sepulturam eligere, ad num. 6.
- 7. **Q**uod discrimen inter eum qui eandem eligit, aut non: ubi sepeliendus: & quid sit sepulchrum sit gentilium, aut hereditarium: inter filios & ascendentes quae discretio: peregrini, advena, studiosi, famuli & conductarii, milites, officiales quo in loco sepeliri debent, ad num. 23.
- 24. **Q**ui alio se consulit, duas habens domos, qui in Regularium conventibus decedunt, oblato, Donati, Terriarii, intra monasteria deservientes, puellae in eis educandae, Novitii, Regulares professi, Moniales, Ejecti, Confratres, ubi sepeliendi, ad numer. 56.
- 57. **Q**uid in Summo Pontifice: Cardinales, Episcopi, Canonici, Presbyteri, Clerici, Beneficarii, usor sub viri potestate, qua sepultura tumulandi, & maritus, ad num. 83.
- 84. **Q**ui habitat in confinio parochiarum: cui liceat sepulchrum eligere: & an quovis locus eligendus: patronis cui jus competat: quale impuberibus, & ubi sepeliendi: ad electionem sepulturae qualis probatio: usquequo electio possit variari: Sacra Congregationis Concilii responsa afferuntur: libera est sepulturae electio: quibus panis coercetur qui ad variationem inducunt, ad num. 127.
- 128. **Q**ue prerogative in Summis Pontificibus ut eorum corpora sepeliuntur: prope altare an quis sepeliendus: construi ubi possit sepultura, ubi melius: utrum in ecclesiis monialium: dum alibi quam in parochia sepeliuntur, quale officium parochi, ad num. 140.
- 141. **Q**ualis licentia in nova sepulchra construantur: an juri sepeliendi a Regularibus possit renuntari: quae pacta, & conventiones observanda quoad sepulchra seu funeralia: jus & usus sepulturae, non dominium acquiritur: quid ad illius acquisitionem: ad quos transeat, ad num. 155.
- 156. **A**n sit simoniacum aliquid exigere pro jure sepulturae: quomodo hoc amittatur: cui conceditur, non auferitur: eo extincto alteri concedi potest: arma, seu insignia amoveri nequeunt: qua pena sepulturae puniendi sepeliri cadavera non est retardandum: se-

184. **Q**uid si quis in puteo reperitur, submersus in flumine, laqueo suspensus, veneno, seu ferro interfecit: alii, qui sepultura privantur, referuntur, & quando, quibusque in casibus ad incurrandam excommunicationem excusentur, ad num. 193.
- 194. **C**adavera excommunicatorum denuntiatorum in loco sacro sepulta debent exhumari si ossa possint discerni, & ecclesia reconciliari: qui in infidelibus, & paganis, interim nemo sepeliendus: an per sepulturam aliorum indignorum ecclesia polluat, ad num. 206.
- 207. **Q**uibus expensis fieri debeat constructio, mantentio, ampliato, restauratio, & expurgatio communis sepulchri: casa notans in confinio parochiarum: ubi sepelitur: ubi habens majorem sepulchrum, si non electa sepultura decaat: quid in carcere detentio, & Relegatio: quae observanda in Seruo Dei fama Sanctitatis: varia notantur attentione digna, ad num. 217.
- 218. **S**upplementa Auctoris subnectuntur, ad num. 272.
- 273. **N**ovae additiones inseruntur, ad num. 277.

NOMEN sepulturae tribus modis sumi potest. **Primo** pro jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum, arg. Clement. cap. Dum 2. de sepulturis, cum similibus. **Secundo** pro actu, ritu, seu officio, quo in associandis ad sepulturam, & sepeliendis cadaveribus mortuorum impenditur; cap. Dicitur 105. caus. 1. quest. 1. cap. Praecipendum 15. caus. 13. quest. 2. cum similibus. **Tertio** pro ipso loco, & situ, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur, cap. Aurum 69. caus. 12. quest. 2. cap. Fratemitatem 3. de sepulturis, & de sepultura hoc tertio modo sumpta erit sermo.

Sepultura igitur hoc tertio modo accepta est locus auctoritate Episcopi benedictus, in quo cadavera Catholicorum pie decessentium sepeliuntur, sic in re Communis. Locus sepulturae regulariter olim erat atrium, aut porticus, vel aliud terrae spatium prope ecclesiam, quod hodie caemeterium communiter appellatur, text. expresso in cit. cap. Praecipendum 15. caus. 13. quest. 2. ibi: "Praecipendum est etiam secundum majorem nstitututa, ut in ecclesia nullatenus sepeliuntur, sed in atrio, porticu, vel in exheredis ecclesiae."

Caemeterium autem graeco significat idem ac latine Dormitorium, eo quia ibi requiescunt corpora Catholicorum, qui ratione Fidei infallibilis finaliter resurgendi, non tam mortui ibi jacere, quam dormire dicuntur, Jo. cap. 11. n. 11. ibi: Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum. Et Epist. 1. Ad Thessalonicens. cap. 4. num. 12. ibi: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, quem textum sit exponit S. Hieronymus dicens: Eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos.

Quamvis tamen olim in solis caemeteriis, & nullus in ecclesia sepeliri posset, ut patet ex cit. cap. Praecipendum 15. caus. 13. quest. 2. & cap. Nullus 18. ead. caus. 13. & quest. 2. ibi: Nullus mortuus intra ecclesiam sepelitur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, aut fideles laici, id est, laici fama Sanctitatis, & miraculis clari, ut explicat Glossa ibid. verb. Fideles: Tamen hodie, & jure, & consuetudine introductum est, ut omnes catholici, sive Clerici, sive Laici in Ecclesiis sepeliuntur; cap. Fratemitatem 3. cap. Ex parte 5. & cap. Cum liberum 6. de sepulturis, juncto cap. Cum gratia 17. caus. 13. quest. 2. ubi additur ratio, ibi: "Prodest mortuis, si in ecclesia sepeliuntur, quia eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchrum aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt."

Quilibet a quolibet impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente; Communis, per claros textus in cap. Nos instituta 1. cap. Fratemitatem 3. cap. Cum liberum 6. cap. Cum super 8. cap. In nostra 10. de sepulturis, cap. Animarum 1. & cap. Cum quis 2. de sepulturis in 6.

Et

7. **E**t si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam Regulari, per vim Parochi, aut alterius, non ibi, sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiae electae; textu expresso in cap. Ex parte 5. cap. Cum liberum 6. de sepulturis, cap. Animarum 1. eod. in 6. Et sic pluries decrevit Sacra Congregatio in facti contingencia, ut videri potest verb. Cadaver num. 11. ubi referuntur decreta una cum confirmatione facta ab Alexandro VII. constituit. incipiente: Alias pro parte:--

8. **Q**ui sibi sepulturam non elegit, sepeliri debet in sepulchro majorum suorum, textu expresso in cap. Nos instituta 1. de sepulturis, ibi: Statuimus unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere, ut Patriarcharum exisus docet, cap. Cum quis 2. cap. Is qui 3. eod. in 6. ibi: "Is qui non electa sepultura decessit, in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari."

9. **M**ajorum nomine ad hunc effectum veniunt pater, avus, proavus, & alii ascendentes in linea recta; l. Jurisconsultus 10. ff. De gradibus, l. Appellatione 51. ff. de verb. signif. Panimol. decr. 5. adnot. 2. num. 15. Barbo. de offic. & potest. Parochi cap. 26. numer. 32. Reiffensuel lib. 3. Decret. tit. 28. numer. 10. & alii passim.

10. **S**i majores non in uno, & eodem sepulchro sepulti fuerint, sed in diversis, v. gr. avus, proavus, abavus, alique omnes majores in uno, pater vero in alio, tunc secundum Glossam in cap. Is qui 3. verb. Antiquo, de sepulturis in 6. Engel. lib. 3. Decret. tit. 28. numer. 6. Reiffensuel ibid. numer. 11. Silvest. verb. Sepultura quest. 8. & alios, filius decessens, non electa sepultura, sepeliri debet in sepulchro majorum, & non Patris, nisi pater pro se, & posteris aliam sepulturam expresse elegerit. Et id tenent, & probant ex quo semper in Jure fiat locutio in plurali, ut patet in cap. Non Instituta 1. de sepulturis, ibi: In majorum suorum sepulchris, cap. Fratemitatem 3. eod. ibi: Patrum, aliorumque parentum sepulchris, quo nomine etiam majores veniunt, cit. l. Jurisconsultus 10. d. 8. ff. de Gradibus affinit. ibi: "Parentes usque ad tritavum nominantur, & cap. Cum quis 2. de sepulturis in 6. ibi: Cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua ecclesia sepeliri, cap. Is qui 3. eodem in 6. ibi: In qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit sepeliri debebit." Haec autem Jura magis verificantur, ut in dicto casu filius non in sepulchro solius patris, sed in sepulchro majorum antecedentium sepeliatur, ut ex verbis patet, adeoque &c.

11. **M**ulti autem alii tenent contrarium, nempe quod filius decessens, non electa sepultura, debeat in tali casu sepeliri, non in sepulchro omnium majorum, sed in sepulchro patris; dummodo pater ex propria electione, & non casu, vel ex aliquo accidente sepultus fuerit in sepultura diversa ab antiqua majorum. Sic late Oldrad. consil. 25. num. 2. vers. Contrarium usque ad fin. Abbas in cit. cap. Nos instituta 1. num. 5. de sepulturis, Sperell. tom. 1. decr. 88. num. 9. cum aliis ibi relatis, Barbo. de offic. & potest. Parochi cap. 27. num. 32. & lib. 2. jur. eccles. univers. cap. 10. num. 32. Medic. de sepul. quest. 7. num. 22. 1. p. Panimol. decr. 5. adnot. 3. num. 19. ubi dicit, quod haec est receptor sententia, Ventriglia part. 2. Annot. 52. §. unic. num. 24. Matthaeucc. Official. cur. quoad sepulchra cap. 48. num. 23. Zechius de republic. eccl. lib. 1. cap. 28. de Parocho num. 27. vers. Fallit Cardin. Petra tom. 2. comment. in constit. 2. Honorii III. n. 25. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 28. numer. 4. & alii, quorum tamen varii, ut Card. Petra, Barbo. Matthaeucc. & alii, ut eos legenti patet, id solum affirmant, quando proavus, abavus, & alii ascendentes majores sepulti sunt in uno sepulchro, avus vero, & pater sepulti sunt in alio, & non quando omnes majores sepulti sunt in uno, & solus pater in alio: Siquae non videntur dissentire a Doctoribus primae sententiae relatis supra num. 10.

FERRAS, BIBLIOTEC. TOM. VIII.

Et revera si abavus, & proavus sepulti sint in uno sepulchro, avus vero, & pater in alio, filius decessens, non electa sepultura, sepeliendus est cum patre, & avo. Pirhing. loc. cit. num. 4. Reiffensuel loc. cit. n. 11. Engel loc. cit. num. 6. Petra loc. cit. num. 25. Matthaeucc. loc. cit. numer. 23. Oldrad. cit. consil. 25. Barbo. de offic. & potestate Parochi cap. 26. & in cap. Nos instituta 1. n. 2. de sepulturis, Silvester loc. cit. quest. 8. & alii: Et ratio est, quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos; atqui filius sequitur originem, & domicilium proximiorum parentum, seu majorum, patris scilicet, & avi, & non remotiorum ascendentium, leg. Assumptio 6. §. Filius ff. ad municip. cap. Fratemitatem 3. de sepulturis, ergo &c. Tum quia in dicto casu aequo satisfi Juris textibus, ac si in sepulchro remotiorum sepeliretur. Si autem pater pro se, & posteris aliam sepulturam elegerit expresse, tunc utique filius, ut dictum fuit sup. num. 10. debet sepeliri in sepultura patris; arg. cap. Unaqueque 3. §. Item in novo, caus. 13. quest. 2. quia si posterius aliam sepulturam non eligant, in similem patris electionem consentire, sicut sibi ipsi sepulturam tacite elegeris censetur. Reiffensuel loc. cit. num. 11. & a fortiori omnes citati Doctores sup. num. 11.

Si ad sit sepulchrum gentilium, seu familiare, & sepulchrum hereditarium, attendendum est primum, & postea secundum, cum etiam hoc dicatur aliquo modo sepulchrum majorum. Sic cum aliis Card. Petra cit. tom. 2. commentar. in constit. 2. Honorii III. scilicet unic. num. 35. Matthaeucc. loc. cit. n. 23. vers. Sicut, Passerin. de statu bonis tom. 2. q. 187. art. 4. inspecl. 4. cap. 2. & alii.

Etiam infantes, quamvis juxta Rituale Romanum tit. de exequiis pueror. debeant sepeliri in sepulchro separato, adhuc tamen sepeliri possunt in sepulchro majorum. Sic expresse decrevit. Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Asculana 21. Octobris 1616. apud Barbo. sam de offic. & potestat. Parochi, cap. 26. num. 28. Card. Petram loc. cit. numer. 26. Panimol. loc. cit. numer. 18. Sperell. cit. decr. 88. in fine, & novissime Sac. Congr. Concilii in Novariens. Funerum 15. Mart. 1704. in respons. ad primum. Vide verb. Quarta Funeralis, num. 32. ubi una cum aliis datur ad literam decretum.

Filii illegitimi, & naturales sepeliendi sunt in sepulchro patris, nisi in Dignitate sit constitutus. Non item filii spurii, quia isti sepeliendi sunt in sepulchro matris, nisi sit femina illustris. Silvester verb. Sepultura, q. 8. d. 4. Pirhing. loc. cit. sub num. 4. & alii.

Filii adoptivi, & arrogati, si moriantur vivente patre, in cujus potestate erant, debent sepeliri in sepulchro ejusdem. Secus autem, si eo jam mortuo, decessant, quia tunc debent sepeliri in sepulchro patris naturalis, cum jam exspiraverit in tali casu adoptio. Silvester loc. cit. dist. 4. Pirhing. loc. cit. sub num. 4. & alii.

Infantes expositi non in sepultura patris, seu majorum, sed in sepultura hospitalium, in quibus exponuntur, sunt sepeliendi, arg. cap. Si a patre unic. de infantibus, & languid. leg. fin. Cod. de infantibus expositis. Sebastianus Medices part. 1. de sepul. quest. 7. num. 25. Ventriglia loc. cit. num. 25. & alii. Si autem tales infantes non essent expositi in hospitalibus, nec hospitalium expensis alerentur, essent sepeliendi in parochia, in qua contingeret eos decedere, tunc decessentes, non electa sepultura, sepeliendi sunt in sua respectiva ecclesia parochiali; cap. Ex parte 5. cap. Cum sit liberum, cap. In nostra 10. de sepulturis, cum similibus.

Supradicta regula, quod decessens sine electione sepulturae sepeliendus sit in sepulchro majorum, non procedit e converso, taliter quod si moriatur pater, vel avus, sepeliendus sit in sepulchro filii, vel nepotis. Et ratio est, quia ascendentes non sequuntur sepulchrum descendentium, nec transversales sepulchrum transversarium, nisi sint haeredes; & sepultura sit hereditaria, nec sit ibi facta electio: Lavorius variat. lucubr. tit. 2. cap. 11. n. 121. Sebastianus Medices loc. cit. n. 24. Ventriglia loc. cit. num. 24. & alii.

Si quis nullam habeat sepulturam majorum, nec

Oo

all-

aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria parochia, ubi Sacramenta suscepit. *Communis*, per text. in cap. Ex parte 5. & cap. In nostra. 10. de sepultur. cap. 21. Animarum 1. & cap. Is qui 3. eod. in 6. Et nullam habere sepulturam majorem censetur etiam filius ille, cujus majores singuli sepulti sunt in diversis sepulchris, nempe proavis in uno, avus in alio, pater in altero: cum ad hunc effectum requiratur concensus plurimorum, qui ab antiquo in eodem sepulchro sepulti fuerint, quia ab uno solo denominari non potest sepulchrum majorem: Unde cessante hoc casu majorum sepulchro talis filius sepeliendus erit in sua parochia. Sic Anchranus in cap. Is qui, sub num. 4. de sepultur. in 6. Silvestri. verb. Sepultura, sub num. 8. Barbosa in cap. Nos instituta 1. num. 2. de sepultur. Reiffenstuel loc. cit. numer. 11. in fin. Engel loc. cit. num. 6. & alii. Contrarium tamen, nempe quod hoc casu sit attendendum sepulchrum patris, tenet Abbas in cap. 1. num. 5. Extrav. de sepulturis, & ita de consuetudine servari testatur Lavorius variis lucubration. tit. 2. cap. 11. num. 113. Spirell. tom. 1. decis. 88. num. 10. At isti intelligendi sunt in casu, quo pater pro se, & posteris sepulturam elegerit, juxta dicta supra n. 13. Alias non esset, qui non haberet sepulchrum majorem, cum quilibet habeat suum patrem in aliquo sepulchro sepultum, loquendo de patribus jam suis filiis premortuis.

22. Peregrini pertansuentes, & Viatores, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in cathedrali: Advenæ autem, seu exteri, & peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua parochia, sepeliendi sunt in ipsa. Sac. Congreg. Episcop. & Regular. in Fulginatens. 5. Julii 1592. rescribens Episcopo: "Etiam circumscripta consuetudine Advenas, & pertansuentes in cathedralibus, & reliquos in parochia, intra cujus fines obierint, si per aliquod tempus habitaverint, esse sepeliendos." Spirell. decis. 87. num. 14. Lavorius loc. cit. num. 144. Cardin. Petra, tom. 2. comment. in constit. 9. Innocent. III. sect. unic. num. 50. Matthæucci loc. cit. numer. 12. & alii referentes dictam Sacre Congreg. resolutionem: Si autem adesset alibi legitima aliqua consuetudo, tam favore cathedralis, quam Parochi, esset servanda, ut concordant Doctores apud Spirell. loc. cit. num. 14. Panimol. loc. cit. num. 43. Cardin. Petra loc. cit. num. 50. argument. cap. Cum dilectus 8. & cap. Cum tanto 11. de consuetudine, leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus.

23. Studiosi, famuli conductitii, milites, officiales, alique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in Parochia, ubi sic habitabant, & decesserunt. *Communis*, & servat recepta consuetudo, quæ non solum est in dubiis optima legum interpret. *cit. leg.* Si de interpretatione 37. ff. de Legibus, cap. Cum dilectus 2. de consuetud. (Vid. verb. Consuetudo) Sed etiam clare Legi derogat, cap. Cum tanto 11. de consuetudine. Miles tamen præsidiarius sepeliri debet in parochia arcis, ubi actualiter moratur, non autem in alia parochia ubi retinet domum apertam cum uxore, & filiis; Sacra Congregat. Concilii in Romana 17. Augusti. 1697. apud Ursayam in Miscellaneo sacro & profano litteræ M (Vid. in add. hisp. verb. Cappellanus Militum).

24. Qui habet domicilium in civitate, vel castro, & ad villam ruralem se transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, & inibi, non electa sepultura, nec habens sepulchrum majorem decedat, debet sepeliri in propria parochia civitatis, vel castri, si absque periculo ad ipsam possit deferri, textu expresso in cap. Is qui 3. de Sepulturis in 6. ibi: *Is qui habet domicilium in civitate, vel castro, quando ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dicta ville, sed in sua parochiali, vel in ea portus, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet.* Quia autem habet domum hyemalem, verb. grat. in civitate, & æstivam in rure, & sic æquali tempore, modo in

una, modo in altera habitat, seu moratur, sepeliendus est in parochia, in qua decedit. Et ratio est, quia pacificatur cum eo, qui in duobus locis æque principale domicilium habet, & sic efficitur utriusque parochie parochianus, adeoque sepeliendus est in parochia, in qua decedit, cum ipsa sit pro tunc vera ipsius parochia, argum. cap. Ex parte 5. cap. In nostra 10. de Sepulturis, cap. Animarum 1. eodem in 6. ibi: *Is qui habet domicilium in una, modo in altera habitat, seu moratur, sepeliendus est in parochia, in qua decedit.*

Advenæ, seu hospites, alique casu decedentes in Regularium Conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali, cap. In nostra 10. de Sepulturis, ubi expresse cavetur non posse Regularem elegerint. Et ita censuit Sac. Congregatio Concilii in Ripana 3. Februarii. 1652. nempe non licere Regularibus commoranti per aliquot dies in eorum Conventu, ibique defuncto, omnia Sacramenta ministrare, & in eorum ecclesiis dare sepulturam sine licentia Parochi, cui quarta funeralis debetur. Sic referunt Pignatelli. tom. 1. consult. 306. numer. 1. Cardin. Petra, tom. 1. comment. in consti. 9. Innocent. III. num. 49. & alii. Item eadem Sacra Congregatio Concilii in Ravensannens. 20. Januarii 1674. censuit: *Speclare ad Parochos sepelire, & ad proprias Parochias deferre: adda vera eorum, qui in monasterio recepti, sepultura non electa, decesserant.* Item eadem Sacra Congregatio Concilii in Gerundens. 3. Februarii. 1694. Expugnato enim à Gallis presidio de Roses, in eodem vulneratus est Didacus Fonseca, qui hospitii causa se recipiens ad Conventum S. P. Dominici Gerundæ, ibi Parochio irrequieto, Sacramentis munitus decessit, & sepultus est. Qua de re proposito dubio: *An dicto militi Fonseca potuerint Religiosi, irrequieto Parochio, Sacramenta ministrare, & corpus deponere?* Sacra Congregatio respondit: *Debetur decretum in Nullius 19. Septembris. 1637. tenoris sequentis: Quidam miles occasione infirmitatis divertit in monasterium Regularium, ibique ab eisdem Sacramentum Eucharistie pro Viatico, & Extremam Unionem recepit, & exinde obiit, Parochio, intra cujus fines monasterium existit, relucant. Quæritur: An administratio hujusmodi Regularibus esset permittenda?* Sacra Congregat. Concilii respondit: *Non esse permittendam.* Card. Petra, tom. 2. comment. ad consti. 9. Innocent. III. sect. unic. num. 49. Pignatelli. tom. 1. consult. 306. Passerin. de statu hominum, tom. 2. cap. 187. art. 5. num. 229. & seq. Bordon. oper. moral. tom. 3. resolut. 51. num. 216. Matthæucci Offic. Curie quoad sepulturam, cap. 68. num. 14. Antonell. de regimine Eccles. lib. 1. cap. 12. num. 11. verò. Inferitur tertio: ubi sic expresse dicit: *Inferitur tertio, eos, qui hospitii causa recipiuntur in Conventu Regularium, ibique infirmantur, & moriuntur, in parochiali ecclesia sepeliendos esse.* & sic alii.

Oblati, Donati, seu Tertiarii, atque etiam seculares, qui Regularibus deserviunt, & intra eorum monasterium septa, ac domos resident, & sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis, si inibi decedant, sunt ibi irrequieto Parochio tumulandi: isti namque eximuntur à subjectione Ordinariorum, & Parochorum, & gaudet privilegiis Religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati. Vide verb. Approbatio pro Confessionibus expediendis, art. 1. à numer. 64. ubi fuit Jure, & ratione conclusum, posse Regulares supradictorum omnium Confessiones expicere cum sola approbatione sui Prælati Regularis sine approbatione Episcopi: Unde cum sepultura potissimum dependeat ab administratione Sacramentorum, ut ponderavit Rota recent. part. 11. dec. 348. num. 9. & notant Doctores communiter, si supradicti omnes recipiant Sacramenta independentes ab Ordinario, & Parochio, ab ipsis Regularibus sepeliendi etiam sunt independentes ab Ordinario, & Parochio, in Regularium ecclesia. Et sic in terminis firmat Card. Petra loc. cit. num. 42. Card. de Luca de Regularibus disc. 1. num. 50. Passerin. cit. tom. 2. de statu homin. quest. 187. art. 4. à num. 228. Matthæucci loc. cit. num. 15. Reiffenstuel loc. cit. num. 21. Pir-

Pirhing. loc. cit. num. 9. & alii communiter.

28. Secus autem seculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui comensales, & cum secularibus exteris extra monasteria habitant, & vivunt: Isti enim, si non habeant sepulchrum majorem, vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria parochia, juxta resoluta sub dict. verb. Approbatio num. 65. & 69.

29. Monialium famuli, & familie habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum, ubi debeant sepeliri? Vide verb. Moniales art. 6. num. 4.

30. Puellæ educandæ, & mulieres seculares in monasteriis Monialium legitima facultate commorantes, & ibi decedentes, ubi sint sepeliendæ? Vide verb. Moniales art. 1. num. 61. ad 63.

31. Novitii, & Novitiæ sepulturam sibi non eligentes, debent sepeliri in monasterio, ubi decedunt, & absque ulla obligatione solvendi portioem canonicam Parochio loci. Engel lib. 3. Decret. tit. 28. num. 12. Reiffenst. ibid. num. 20. Card. Petra loc. cit. num. 38. & alii communiter: Et ratio est, quia in favorabilibus Novitiæ, & Novitiæ veniunt nomine Religiosorum, & Religiosorum, arg. cap. Religioso, §. Quamvis 21. de sent. excommunicat. in 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia Religiosis concessa, de quibus testatur Donatus tom. 3. tract. 10. quest. 4. num. 2. & etiam universalis consuetudo Religionum, quæ derogat legi contrariæ, si quæ adesset, cap. Cum tanto 11. de consuetudine. (verb. Consuetudo) Insuper debent Novitiæ, & Novitiæ sepeliri in monasterio, ubi decedunt, etiam si habuissent animum determinatum exeundi à Religione. Card. Petra loc. cit. num. 38. cum Palao, & aliis ibi citatis: Silvester verb. Sepultura quest. 8. Engel loc. cit. num. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 20. & alii: Et ratio est, quia non voluntas, & affectus, sed factum mutat statum, & domicilium, leg. Domicilium 20. ff. Ad municipalem (Verb. Civitas).

32. Immo in monasterio, ubi decedunt, sepeliri debent etiam viatores seculares, & puellæ nondum habitu regulari induti, seu indutæ, sed de brevi induendi, seu induende, & jam in novitatum admitti, seu admittæ, ut sic sub obedientia Regulari per aliquos dies incipient experiri Religionis austeritates. Vide verb. Novitius, Novitiæ num. 16. & 17.

33. Novitii, & Novitiæ, & à fortiori dicti juvenes, & puellæ adhuc seculares, si habeant patrimonium, debent sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper monasterii sepelirentur: Si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis monasterii; Cardin. Petra loc. cit. num. 38. cum aliis ibi adductis, & plures alii apud Donat. loc. cit. quest. 5. num. 1. & 3.

34. Regulares Professi decedentes extra Conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debent in eo sepeliri; *Communis*, textu expresso in cap. Religioso 5. de sepulturis in 6. ibi: *Religiosi, nisi à propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi.*

35. In tali casu non tenentur Regulares solvere portioem canonicam Parochio loci, in quo Regularis decessit, quamvis Religioso infirmo Viatico, & Extremam Unionem ministraverit; S. C. Episc. & Regul. in Puseolana 22. Maii 1615. apud Barrosam de offic. & potest. Parochi cap. 26. num. 68. Possuntque Regulares dictos defunctos suos Religiosos delecte ad suum monasterium, inconsulto Parochio; S. C. Concilii in Bolognensi. 2. Julii 1620. in respons. ad 10. quod erat his verbis conceptum: *Decimo, morando. Fratri, come aviene alle volte, è in particolare d' Canonici Lateranensi, fuoti del monastero in casa de loro Parenti, ed avendo i Curati amministrato loro i Santissimi Sacramenti, se possono i loro Superiori farli portare di notte alla loro Chiesa senza dirne cosa alcuna al Curato, è senza darli le ragioni Parochiali?* Ad decimum Sac. Congreg. Concilii respondit: *Re-*

gulares extra claustra decedentes poste ad eorum ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis: Sic referunt Passerin. tom. 2. quest. 187. art. 4. num. 214. Card. Petra loc. cit. num. 7. Donat. loc. cit. quest. 9. num. 1. & alii passim.

Talis autem delatio, inconsulto Parochio, est faciendi modo privato sine pompa, sine cruce, & processione, ut firmat Card. Petra loc. cit. num. 9. Pignatelli. tom. 4. consult. 199. num. 9. Matthæucci loc. cit. num. 16. referens sic in casu fuisse observatum Romæ. Si autem quandoque ex quibusdam circumstantiis congrua videretur sollemnis delatio defuncti Regularis cum cruce, & processione ad monasterium suæ Religionis, deberet fieri cum assistentia, vel saltem de consensu Parochi, cum ratio, & consuetudo non patiantur, ut Regulares sine Parochio, aut ejus Delegato, qui posset in casu esse etiam aliquis Regularis, causa exequiarum procedant extra monasterium processionally; Card. Petra loc. cit. num. 11. Pignatelli loc. cit. num. 6. Matthæucci loc. cit. num. 16. & alii. Ast tamen in hoc dicerem servandam esse locorum consuetudinem, cum ipsa non solum sit in dubiis optima legum interpret; l. Si de interpretat. 37. ff. De legibus, cap. Cum dilectus 8. de consuetudine; sed etiam clare legi derogat, cap. Cum tanto 11. de consuetud.

In casu autem, quod Regulares decedant in locis à suis monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in ecclesia ab ipsis electa; cum ad id in simili casu facultatem habeant à Jure sibi concessam per dictam limitationem in cit. cap. Religioso 5. de sepul. in 6. ibi: *Nequeunt... sibi eligere sepulturam... Nisi à propriis monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint; Sic Glossa ibid. verb. Nota: Donat. loc. cit. quest. 2. num. 5. Engel loc. cit. num. 11. Reiffenstuel loc. cit. num. 18. & alii passim.* Si tamen in dictis locis remotis decedant Regulares, non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in ecclesia parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii monasterii, si bona in communi possideat; Donat. loc. cit. quest. 2. num. 4. cum aliis ibi citatis; Reiffenstuel loc. cit. numer. 18. Glossa in cit. cap. Religioso, verb. Nota: ubi citat communem Doctorum his verbis: *Sed quid si moriatur, non electa sepultura? Communis opinio Doctorum est, quod sepeliendus est in ecclesia parochiali, in cujus parochia mortuus est.*

Tunc autem dicitur Religiosum mori in loco remoto, ut detur ei locus electioni sepulture, quando ejus cadaver distat à suo monasterio per iter unius diei, id est, ad quod per unicum diem cadaver transferri nequit, ne forte putrescat, & inficiat aerem. Donat. loc. cit. quest. 2. num. 5. Bord. tom. 2. resolut. 51. num. 161. Pelliz. in Man. Regul. tom. 2. tr. 8. cap. 5. num. 29. & alii. Vel relinquatur arbitrio prudentis iudicandum, ut notant Card. Petra loc. cit. num. 21. Matthæucci loc. cit. num. 6. in fin. & alii.

Quod dictum est de Professis decedentibus extra claustra, dicendum est etiam de Novitiis, præsertim cum extra claustra decedunt, quando ad exequendum Superiorum voluntatem exierunt, seu quando de consilio Medici, & licentia sui Superioris se transtulerunt ad domum storum parentum pro recuperanda inibi sanitate; tunc enim sepeliendi sunt in monasterio sine obligatione solvendi canonicam portioem Parochio, quia gaudet Juribus, & privilegiis Ordinis, & in favorabilibus veniunt nomine Professorum; arg. cap. Religioso §. Quamvis 21. de sent. excomm. in 6. Donat. loc. cit. quest. 8. in fin. Pelliz. tom. 2. Man. tract. 8. cap. 5. sect. 4. quest. 10. num. 137. Macin. in brevi tract. de infirmit. in ordine ad sepulturam, dub. 9. Dicassilli. de Justit. lib. 2. tract. 19. §. 3. num. 209. La Croix lib. 7. num. 248. cum Sanchez. ibi cit. & pluribus declarat Pignatelli. 7. consult. 70.

Regularis Confessarius Monialium pro earum curâ spirituali habitans in domo prope monasterium ad præscriptum Alexandri VII. constit. incip. Felici, §. 11. si infirmetur ad mortem, recipit Viaticum, & Extremam

Unionem à suis Religiosis, & non à Parocho: Quamvis enim Regulares, qui infirmantur ad mortem in domibus Secularium, talia Sacramenta recipere debeant à Parocho, ut declaravit Sacra Congregatio sub anno 1520. apud Donat. tom. 3. tract. 10. quest. 9. num. 6. Itemque eadem Sacra Congregatio. Concil. in Collen. 11. Aprilis 1609. & Messanen. 20. Septemb. 1698. Tamen hac declaratio non videtur comprehendere dictum Confessarium, quia ipse non infirmatur proprie in domo seculari, sed potius in domo quasi Religiosa, & exempta ad hunc effectum, & quidem à Summo Pontifice præscripta quasi domo parochiali, seu conventuali ipsius Regularis Confessarii inibi habitantis tamquam Parochi ad curam spiritualem Monialium. Unde non est censendum, quod Pontifex statuendo talem mansionem pro dicto Confessario Regulari, voluerit ipsum reddere inferioris conditionis, quam sint alii Religiosi commorantes in suo Conventu, adeoque exempti à Jurisdictione parochiali, cum ipse ibi manendo censeatur quoad hunc effectum manere in Conventu, & de facto ibi maneat sub obedientia sui Superioris in sibi tamquam conventuali mansione designata à Pontifice, aliis non reperiretur qui vellet hoc onus subire, sicque Moniales remaneret destituta tam necessaria cura spirituali; tum quia si infirmetur Parochus in propria sua domo parochiali recipit sacramenta à sua parochia independentem à quolibet; ergo etiam dictus Confessarius Regularis, qui velut Parochus habitat in dicta domo sibi à Pontifice præscripta tamquam sua domo parochiali, potest independentem à quolibet recipere hæc Sacramenta ab ecclesia Monialium tamquam à sua exempta parochia; talis enim Regularis nedum gaudet exemptione personali, sed quoad hunc effectum etiam exemptione locali; tum etiam quia nemo potest rationabiliter asserere, quod ipse Confessarius infirmus non possit reficere eodemmodo Sacramento, quod ipsemet sanus in sua velut parochiali Monialium ecclesia conficit, argum. Epist. 1. ad Corinth. cap. 9. numer. 7. ibi: *quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Accedit etiam recepta consuetudo, quæ non solum in dubiis est optima legum interpretis, sed in interpretatione 39. ff. de legibus, cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, sed etiam clare legi derogat; cap. Cum tanto 11. de consuetud.

44 Regularis viator, & hospes in conventu alterius Religionis, verb. grat. Dominicianus in conventu Franciscanorum, si ibi decedat, non sibi electa sepultura, & valde remotus, & distans sit conventus proprii Ordinis, sepeliendus est in ecclesia parochiali, intra cujus fines est conventus, in quo decedit: De ipso enim discurrendum est ac de Regularibus decedentibus in locis secularibus ita remotis à suis monasteriis, ut ad ea deferri commode non possint, qui, ut diximus supra n. 30. sepeliendi sunt in parochiali.

45 Et inibi sepeliendus est expensis sui peculii, si habeat, vel, eo carente, expensis proprii monasterii. Cardinal. Petra loc. cit. num. 36. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 14. numer. 4. Castropal. part. 3. tract. 19. disp. 4. quest. 13. §. 8. num. 6. & alii. Ex ratio est, quia Monachus in vita acquirit monasterio; cap. Statutum 15. caus. 18. quest. 1. cap. Abbates 16. caus. 18. quest. 2. cap. Quia ingredientibus 7. caus. 19. quest. 3. cap. In presentia 8. de probat. cum similibus, ergo monasterium in ejus morte debet ipsius sepulture onus sentire: Qui enim sentit commodum, sentire debet & onus, leg. Si merces 25. §. 6. ff. Locati, cap. Qui sentit 15. de regul. jur. in 6.

46 Quod usque nunc dictum est de Regularibus, est dicendum etiam de Monialibus, ita ut in omnibus dispositio, cit. cap. Religiosi 5. de sepulture in 6. cum eisdem procedat. Hinc si contingat, quod aliqua Monialis moriatur extra suum monasterium, idem est concludendum, quod ibi statuitur de viris Regularibus, Murga disp. for. tom. 1. disp. 8. de electione sepulture, §. 9. & 10. Cardinal. Petra loc. cit. num. 40. & alii passim.

47 Regularis expulsus, seu ejectus, si non eligat se-

pulturam, ad quod habet facultatem, cum statim ac ejicitur à Religione, censeatur relinquere ac si Religiosus non esset, & videatur nolle ejus corpus cum illis Religiosorum sociari, ut docent Murga loc. cit. disp. 8. §. 3. Molina tract. 2. disp. 276. Lesius de Just. & Jur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 113. Card. Petra loc. cit. num. 37. & alii passim, sepeliendus est in parochia, in qua decedit, arg. Nos instituta 1. cap. Ex parte 5. cap. In nostra 10. de sepulture, cap. Animarum 1. & cap. Is qui 3. eod. in 6.

Et tunc expensæ faciendæ sunt de ejus peculio, si habeat, seu de peculio parentum, & in casu omnimodæ paupertatis debet à Parocho tumulari gratis, sicut gratis tumulari debent cadavera aliorum pauperum, ut statuit Sacra Congregatio. Episcoporum & Regular. in Castanens. 5. Maii 1617.

Tertiarum, & Tertiarum, habentes requisita à Leone X. 49 in constitutione incip. Dum intra: & alia incip. Numerum: & in decreto Sacre Congregationis edito die 20. Decemb. 1616. si decedant non sibi electa sepultura, & in ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperitur, debent in ipsa sepeliri, aliis sepeliri debent in parochiali. Sic declaravit Sacra Congregatio. Concilii, ut ex Novatio refert Cardin. Petra loc. cit. num. 41. vers. Si verò, his verbis: *Præterea si contingat aliquos ex prædictis Tertiarum absque sepulture electione decedere, eos sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis eorum sepultura communis reperitur, sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendos esse decrevit:* Nam ut prosequitur Eminentissimus Petra loc. cit. uti gaudentes privilegiis Regularium, pars dicuntur ipsius Religionis, ut dixit etiam Sacra Congregatio. Episcoporum & Regular. in Nepesina 11. Decembris 1615. ad quintum, & 20. Decembris 1617. Verum cadavera non possunt deferri à domo nisi cum presentia Parochi, vel hoc requisito, ut Sacra Congregatio. cit. in Mutinens. 17. Junii 1635. apud Diana part. 6. tract. 9. Miscell. resol. 30. & Passerin. de statu homin. tom. 1. num. 246. & sequenti, qui num. 248. adducit epistolam per extensum. Sic Cardin. Petra loc. cit. num. 41. vers. Si verò: Panimol. decis. 5. Aduot. 3. num. 47. & 48. Sellius in relect. canon. cap. 35. num. 20. Gavant. in manual. Episcop. verb. Tertiarum num. 10. & 11. Tamb. de Jure Abbatiarum disp. 7. quest. 3. vers. Tertiarum, & vers. Sacra Congregatio. Cardinal. Barbosa de Offic. & potest. Parochi, cap. 26. num. 69. Sperell. tom. 1. de cir. 87. num. 17. Labor. variat. lucubr. tit. 2. cap. 11. num. 103. & 104. Matthæucc. official. Cur. cap. 48. numer. 31. & cap. 35. num. 2. §. 2. & 3. & alii. Vide verb. Tertiarum, ubi dantur citatæ constitutiones Leonis X. editæ in Concilio Generali Lateranensi, & citat. decret. Sacre Congregationis.

Quoad sepulturam Cordigerorum utriusque sexus, 51 Sacra Congregatio. Episcoporum & Regular. in una Senogal. 22. Novemb. 1580. sic observari mandavit: *Quod ubi adest sepultura communis pro Cordigeris in ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta confraternitas, sepeliantur in ea; ubi vero non est talis sepultura, morderentur sicut ceteri seculares, & sepeliantur in seculari ecclesia, si non sibi elegerint aliunde sepulturam.* Lonsue. Theatr. Regul. verb. Confraternitas, num. 11. Matthæucc. offic. Curie quoad sepultur. cap. 48. num. 2. sed quantum ad hoc attendenda est consuetudo, cum circa id habeantur posteriora decreta contraria, ut aparet in num. subseq.

Confratres confraternitatum existentium in ecclesiis Regularium sepeliendi sunt in parochia, nisi alibi elegerint sepulturam. Sic Sacra Congregatio Concilii, prout in constitutione Innocentii X. incip. Ex injuncto, §. 6. ibi: *An liceat Regularibus sepelire in suis ecclesiis Confratres Laicos, qui sepulturam non elegerunt?* Respondit: *Confratres Laicos, si non præcedat eorum electio sepulture, sepeliendos esse in eorum propria parochiali ecclesia:* Et hoc procedit, etiamsi in ecclesiis Regularium adesset communis sepultura pro dictis Confratribus, ut respondit Sacra Congregatio. Concil. in Neapoli-

ana die Februarii 1666. ad septimum dubium. Vide verb. Confraternitas art. 5.

Confratres, ut possint sibi eligere sepulturam in Oratorio Confraternitatis habente Jus sepulchri, requiritur, quod per sex menses ante obitum fuerint inscripti: Sic habetur in Concilio V. Mediolanens. relato à Gavant. in manual. verb. Confraternitas, n. 46. Monacell. part. 4. supplement. ad 1. tom. num. 131.

55 Volentes sepeliri in habitu Religiosorum non est de necessitate, quod tumulentur in ecclesiis eorum, quorum est habitus, sed possunt sepeliri ubi sepulture elegerint, prout eorum relinquuntur arbitrio à Leone X. constit. incip. Dum intra: ibi: *Volentes quousque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustris non degentes sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possunt. Et sic statuit etiam Sacra Congregatio. Episcoporum & Regular. in Novariens. 23. Novembris 1582. apud Pignatell. tom. 1. consult. 17. num. 20. describens illius civitatis Episcopo in hæc verba: V. S. non permissa in modo aliquid, che i Terziarij si confessi non, se non da quelle persone, che sono state ammesse alle confessioni da lei, benchè siano Fratri, perchè niun deve confessare senza l'approbatione dell'Ordinario: Facendo intendere inoltre alli Terziarij, che abitano nelle case loro, che s'ingannano, pensando, che tutti quelli, che hanno l'abito da Terziario, si debbano senz'altro, quando muojono, sepelire nelle Chiese d' Fratri, se essi non si sono eletta quella sepultura, è gli faccia capaci, che non hanno tanti privilegj, quanti forse si persuadono, come si può vedere nel Concilio Lateranense ultimo nella sess. 11. Nè meno è vero, che ognuno, che lascia morendo d'esser vestito con l'abito di Terziario, o di Frate, spercio debba esser sepulto nella Chiesa de' Frati, se non hanno mostrato più che chiaramente la loro voluntà circa l'elezione della sepultura; ma dovranno esser portati, dove di ragione sarebbero andati senza quell'abito. Et idem censuit Sacra Congregatio Concilii in Neapolita 13. Februarii 1666. in responsione ad 9. dubium, quoad erat conceptum his verbis: Nono: An qui post mortem mandatus suum corpus indui habitu Tertiariorum, sit sepeliendus in ecclesia Regularium? Ad 9. Sacra Congregatio. censuit negativè.*

56 Barbosa tenet lib. 2. Jur. eccles. univ. cap. 10. numer. 73. & de offic. & potest. Parochi, cap. 20. num. 73. refert sequens Decretum: *Suscipientes habitum à Guardianis, vel ab alio, cui ille committendum duxerit, & cum eo decedentes, in ecclesiis ejusdem Ordinis ecclesiasticæ sepulture sunt tradendi, si Guardianus propter habitus concessionem, & receptionem eos præmonuit eorum cadavera ibi sepelienda esse, ut censuit Sacra Congregatio. in d. Nepesina 11. Decembris 1615. ad 2. & Samuel. de sepulture. tract. 1. controvers. 15. conclus. 12. allegat. ut sequitur, Bullam auream Sixti IV. ibi: Cum autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum specialiter gerentes devotionis affectum, eorum cadavera cum habitu FF. Prædicat. & Minorum, seu Fratrum, vel Sororum de Penitentia utriusque Ordinis Prædicatorum, & Minorum, sepeliri mandent, & persæpe antequam moriantur, habitum hujusmodi eis postulent exhiberi.*

Decernimus, habitum hujusmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, & Guardianum domus Ordinis Minorum loci, in quo tales decedere contigerint, vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, do vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, vel cui illi duxerint committendum duntaxat, & non per alium quavis auctoritate, vel prælatione fungentem, exhiberi debere. Qui prædictum habitum recipientibus declarate teneantur apud eorum Ordinum ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum suscipiunt, & illorum sic indutorum cadavera discooperata, nullo pallio, seu tegumento superposito, deferri posse: Ordinariorum etiam sua censuris prohibitio nec locorum quolibet in contrarium edita non obstan-

te, quas quoad hoc modificamus.

Adest præterea declaratio Sacre Congregatio. Episcoporum & Regul. sub his verbis: *Prædicta cadavera recto tramitesunt ad ecclesias Regularium deferenda cum Parocho, quo requisito expresse, si venire recusaverit, licere tunc eidem Regularibus, etiam ipso invito, portare ad usus ecclesiarum. Romæ die 11. Decemb. 1615. Antonius Maria Cardinalis Gallus. — Loco Sigilli. — V. Theatinus Secretarius.*

Badem interrogata Sacra Congregatio. à Patribus Minoribus: An in eorum ecclesiis sepelienda sint cadavera illorum, qui dicti Ordinis habitu induit ex hac vita migraverint? Respondit id fieri debere, si statim à Guardianis domus loci, in quo tales decedere contigerint, aut ab alio Superiore, vel altero, cui vid Superior committendum duxerit, habitum receperint, ac prædicti Guardianus, vel alius Superior hujusmodi suscipientes præmonuerint, eorum cadavera propter habitus concessionem, ac receptionem, penes ipsos Fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda. Hactenus apud Samuelium loc. cit. conclus. 12.

Papa decedens Romæ sine electione sepulture sepelitur in Basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri nisi Summi Pontifices, & Personæ Regales, prout patet de Principissa Matilda tam benemerita Ecclesie Romanæ, & novissime de Christiana Regina Suecorum ibi sepultis. Et nequidem Eminentissimis Cardinalibus permittitur esse inibi sepeliri; Cohel. Not. Cardin. Privil. tit. 90. Passerin. de stat. hom. 2. quest. 187. art. 4. num. 139. Cardin. Petra loc. cit. n. 27. referens dictam basilicam amissis legatum cuiusdam, qui mandaverat ibi sepelire. Et de sepultura Pontificis, Rota Romana Juris tumulandi num. 14. die 20. Februarii 1702.

Si autem contingeret Pontificem sine electione sepulture decedere extra Urbem, nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in ecclesia cathedrali loci, ubi decedit, cap. Is qui 3. de sepulture in 6. Rota in Romana Juris tumulandi num. 16. die 20. Februarii 1702. coram D. Priolo; Lavorius tom. 1. variar. tit. 2. n. 45. Sebastianus Medices de sepulture part. 1. cap. 11. quest. 7. num. 2. Cardin. Petra loc. cit. num. 29. referens id de facto evenisse in aliquibus civitatibus, ut Neapoli, & Salerni &c.

Papa potest sibi eligere sepulturam in quacumque sibi benevisa ecclesia, etiam Regularium, ut patet ex pluribus monumentis, quæ videntur in diversis etiam Regularium ecclesiis in Urbe: Corpus tamen solent deferri semper ad dictam ecclesiam S. Petri pro functionibus exequiarum explendis, & deinde deferuntur ad ecclesiam electam. Cardin. Petra loc. cit. num. 27.

Cardinales decedentes in Urbe, si non habeant sepulchrum majorum, nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt, non in parochia, sed in ecclesia proprii Tituli; sic articulo late discusso firmavit Rota in Romana Juris tumulandi 1702. coram Priolo in causa sepulture Eminentissimi Cardinalis Pallavicini, quæ decisio refertur à Monac. tom. 4. in Appendic. decis. 18. & à Pitonio discept. ecclesiastic. tom. 2. post discept. 51. eamque citant, & sequuntur ultra prædictos, etiam Card. Petra loc. cit. comment. ad constit. 2. Honorii III. num. 32. Matthæucc. Official. Curie quoad sepulture, cap. 48. num. 9. ubi citat etiam aliam decisionem de quinta die Martii 1703. refertque tali anno ratione dictarum decisionum cadaver Cardinalis Radolovich Titularis S. Bartholomæi in Insula, qui suum corpus reliquit esse tradendum sepulture in ecclesia prout de Jure, redditum fuisse ecclesie Titulari, & in ejus solo tumulatum, cum prius pendente lite inter parochiam, & titulum, fuerit interim depositum in sua parochia S. Marcelli.

Et hoc etiamsi Cardinales non resideant in Titulo, 61 cum non omnes ecclesie Cardinalium Titulares habeant contiguas habitationes. Rota cit. decis. in Romana Juris tumulandi 20. Februarii 1702. num. 23. & 31. Card. Petra loc. cit. num. 32. & alii.

- 62 Et hoc procedit etiam in Cardinalibus Regularibus: Non enim ipsi in tali casu sepeliendi sunt in ecclesia Regulari, si specialiter eam non elegerint, quia magis stringit vinculum speciale proprii Tituli Cardinalitii, quam generale Religionis: Tum quia dum Regulares assumunt ad Cardinalatum, eximuntur ab obedientia Religionis; adeoque sicuti remanent soluti à lege ventante electionem sepulture, ita presumpcio oritur, ut electio debeat esse in eo loco, in quo uti Cardinales, & non uti Regulares sepeliri debuerant, etiamsi alibi Cardinales Sacramenta recipiant, ut prosequitur citata Rotæ decisio num. 34. & 35. Card. Petra loc. citat. numer. 33. & alii.
- 63 Cardinales autem decedentes extra Urbem sine electione sepulture sepeliri debent in ecclesia majori loci, ubi decedunt, quia, ut dicit Rota in cit. decis. num. 10. ratione dignitatis illa eccl. censetur parochialis Card. defuncti, sicuti censeretur in casu simili obitus Summi Pontificis. Sic Card. Petra loc. citat. num. 34. Murga de Sepulturis tract. 8. sect. 2. dub. 7. conclus. 4. Matthæuc. loc. cit. num. 9. & alii passim. Hoc tamen intelligendum venit, nisi in vita se subjecerint specialiter alicui parochiæ, ut notat Card. Petra loc. cit. num. 34. Matthæuc. loc. cit. num. 9. & alii, arg. cap. Instituta 1. cap. Ex parte 5. cap. In nostra 10. de Sepultur. cap. Animarum 1. & cap. Is, qui 3. eod. in 6.
- 64 Debetur tamen semper quarta canonica ecclesiæ parochiali ratione administrationis sacramentorum, prout debetur, si quis decedat sine electione sepulture, & sepeliatur in sepulchro majorum, vel in cathedrali. Sic Rota in cit. decis. num. 34. Cardin. Petra loc. cit. n. 39. Matthæuc. loc. cit. num. 9. Antonell. de Regim. eccler. lib. 1. cap. 12. num. 30. Pitonius in addit. ad dictam discept. 51. in fine, & alii.
- 65 Episcopi decedentes in propria diocesi non electa sepultura, nec habentes sepulchrum majorum, sepeliri debent in propria cathedrali tamquam sua sponsa; si verò decedant extra diocesim, & commode possint deferri ad propriam cathedralem, sunt in ea tumulandi; Si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in ecclesia digniori loci, in quo decedunt, quia de ea ratione dignitatis eorum presumitur voluntas. Card. Petra loc. cit. num. 26. Sperell. decis. 87. n. 42. Antonell. loc. cit. num. 45. Matthæuc. loc. cit. num. 11. & alii passim: Quod si habeant duas Ecclesias æquivalentes, sepeliendi sunt in ea, in qua decesserunt; & si non sunt æquivalentes, sed una alteri subiecta, sepeliri debent in principali. Card. Petra loc. cit. num. 37. Pitonius loc. cit. num. 23. & alii.
- 67 Canonici cathedralis decedentes, non electa sepultura, ubi tumulari debeant? Vide verb. Canonici art. 8. à num. 11. ad 14.
- 68 Clerici, & Presbyteri decedentes non electa sepultura, sepeliendi sunt in cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata pro Presbyteris, & Clericis, etiam non attento sepulchro majorum. Sac. Congreg. Episcop. in Foro Sempr. 1. Septembr. 1690. Monacell. tom. 1. tit. 2. formul. 4. num. 17. Samuël. de sepultur. disp. 5. tract. 1. contro. 9. conclus. 20. num. 30. Nicol. lucubr. canon. lib. 4. tit. 15. de sepultur. num. 15. Matthæuc. loc. cit. num. 11. vers. Canonici: Passerin. loc. cit. numer. 35. cum seq. & alii. Vide tamen verb. Canonici art. 8. num. 11. 12. & 13.
- 69 Si verò non adsit in cathedrali sepultura propria separata pro Presbyteris, & Clericis, Clerici, & Presbyteri decedentes sine electione sepulture, sepeliendi sunt in sepulchro majorum, si habeant; & si non habeant, in propria parochia. Communis, arg. cap. Nos instituta 1. cap. Ex parte 5. cap. In nostra 10. de Sepultur. cap. Animarum 1. cap. Is, qui 3. & cap. Licet 4. eodem in 6. Et ratio est, quia Jura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discurrendum de eorum sepultura, ac de sepultura catholicorum secularium, cum ubi Jus non distinguit, neque nos distinguere debeamus; leg. De pretio 8. ff. de Public. in rem action. (Lit. C. pagin. 31. numer. 7. & Lit. I. pagin. 19. num. 100.) & verba generalia generaliter sunt

intelligenda, cap. Quia circa de privil. (Lit. I. pagin. 71. num. 121.) Unde cum quassium fuisse à Sacra Congr. Conc. in una Fulginat. die 10. Julii 1694. An liceret Capitulo cathedralis privative quoad omnes alias ecclesias tumulare cadavera personarum in Sacris, vel Minoribus Ordinibus constitutarum, etiam prima Tonsura initiatorum, decedentium absque electione sepulture? Sacra Congregat. noluit decidere, sed remisit causam ad Judices suos: Cum enim ageretur de consuetudine probanda, idè forte noluit assumere cognitionem, ut dicit Card. Petra loc. cit. n. 40. subdens ibid. num. 41. bonum Jus favere Parochis, si non probetur legitima consuetudo; nam ipsi habent assistentiam Juris in tumulatione istorum carentium sepulchro majorum decedentium sine electione inter fines propriæ parochiæ per Jura supra adducta. Card. de Luca de parochis dist. 27. num. 2. Panimol. decis. 5. num. 1. & 5. Rota part. 11. recent. decis. 348. num. 9. & in his terminis Passerin. loc. cit. num. 325. cum seq. & alii.

Si autem adesset consuetudo quadragenaria cum titulo, tunc deberet attendi, prout etiam quando ecclesia cathedralis teneatur solvere quantum funerale parochi alterius ecclesiæ, si ibi sepulturam quis elegerit, ut declaravit Sacra Congr. Concil. in Mantuana die 12. Julii 1594. & confirmavit die 20. Aprilis 1695. Et ita si sibi reservatum fuisset tale Jus in signum Superioritatis, quando parochiæ fuerunt distinctæ, seu creatæ. Sic Card. Petra loc. cit. num. 41. Panimol. decis. 5. adnot. 4. num. 8. & seq. Barbosa lib. 3. jur. eccl. cap. 24. num. 16. Cavaser. decis. 649. num. 2. & decis. 295. num. 3. coram Bichio: Immo sufficeret etiam consuetudo immemorabilis sine titulo, cum ista quæcumque titulum præsumere faciat.

Clerici Beneficiati cum onere residenti, tam simplices, quam Curati decedentes sine electione sepulture, & carentes sepulchro majorum, sepeliri debent in ecclesia sui beneficii, & residentiæ, & non in propria parochia. Barbosa in cap. Nos instituta 1. num. 4. de sepulturis, Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 28. num. 9. Sanig. ibidem n. 8. Vallensis ibid. num. 6. Reiffenstuel ibid. num. 25. Tusch. lit. P. concl. 99. num. 5. Bursar. consil. 226. num. 18. & 19. Bellet. disquis. Cler. p. 1. §. 3. num. 9. 10. 11. & 20. Joan. Asin in l. Familiaria, ff. de relig. & sumpt. funer. Murga, & communis aliorum, teste Reiffenstuel loc. cit. arg. cap. Nos instituta 1. de sepul. ibi: "In qua cœlesti pabulo præfici consueverunt, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum, cap. De his 4. eodem, ibi: A quibus receperunt salutis pabula; & cap. Cum quis 2. eodem in 6. ibi: In qua ille officia consuevit audire divina, & ecclesiastica recipere Sacramenta": Ubi, ut vides, statuitur, decedentes sine electione sepulture, & carentes sepulchro majorum, sepeliendos esse in ecclesia, in qua consueverunt audire officia divina, & ecclesiastica recipere sacramenta: Atque Clerici Beneficiati cum onere residenti ibi divina audiunt, & Sacramenta percipiunt; immò etiam divina faciunt, & sacramenta ministrant, ubi beneficium habentes servitium cum residentia præstant, ergò &c. Et ratio est, quia Clerici Beneficiati cum onere residenti sunt potius parochiani ecclesiarum suarum respective beneficiorum, quam suorum domiciliorum, quia aliàs non in illis, sed in istis sacramenta percipiunt, & divina audire statutus à Jure temporibus debent; arg. cap. Omnis utriusque sexus 12. de penit. & remission. ubi statuitur, quod "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharisticum sacramentum; adeoque cum Clericis Beneficiatis cum onere residenti, non Parochus domicilii, sed Parochus beneficii residentialis divina ministrat, potius iste, quam ille censendus est eorum proprius Parochus cum Jure eos sepeliendi.

Nec

- 72 Nec valet objicere, quod Clericis Beneficiatis Viaticum, & Extremam Unctionem administrat Parochus domicilii, & non Parochus beneficii, adeoque potius ille, quam iste censendus est eorum proprius Parochus cum Jure eos sepeliendi: Non valet, inquam, quia, concessio antecedente, negatur consequentia, cum in ordine ad sepulturas sacri canones non attendantur locum, ubi quis in extremis recipit sacramenta, sed locum, ubi in vivis sanis sacramenta recipere consuevit, ut patet ex cit. Juribus num. antecod. ut clare denotant illi termini: Consueverunt, consuevit; adeoque cum Clericis Beneficiatis in vivis, & sani sacramenta recipere consueverint in ecclesiis suorum beneficiorum cum residentia, & non in illis suorum respective domiciliorum, sunt tumulandi in illis, non obstante quod in extremis ab istis receperint Viaticum, & Extremam Unctionem, quia hoc non evenit, quia ipsi sint eorum proprii Parochi, sed quia proprii Parochi Ecclesiarum dictorum suorum beneficiorum fines, & territorium parochorum suorum respective domiciliorum intrare, ibique ipsis in vivis sacramenta ministrare nequeunt; argum. cap. Ecclesias 1. caus. 13. quest. 1. cap. In Ecclesiis 1. de Capellis Monachor. cap. Cum singula 32. de Præbend. in 6. cum similibus. Et de facto si quis recreationis, vel negotii causa in villam extra suam parochiam sitam se conferat, & ibi moriatur, non ibidem, sed si non habeat sepulchrum majorum, nec sibi elegerit sepulturam, in propria parochia sepeliri debet, non obstante quod in aliena Viaticum, & Extremam Unctionem receperit, text. expresso in cap. Is qui 3. de sepultur. in 6.
- 73 Uxor licet sit sub potestate viri, potest libere sine ejus licentia eligere sibi sepulturam, quia in hoc est sui Juris; Communis, textu expresso in cap. De uxore 7. de Sepulturis, juncto ejus summario sic expresse dicente: "Mulier nupta libere potest sibi eligere sepulturam."
- 74 Si autem uxor decedat, non electa sepultura, & adhuc superstitè suo marito, debet sepeliri in sepultura mariti, si hic aliquam jam sibi elegerit, & determinavit, aut jam determinavit sepeliri in sepulchro majorum: Abbas in cit. cap. De uxore, num. 6. Barbosa ibi num. 24. Pirhing. loc. cit. n. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 4. Silvester verb. Sepultura, quest. 8. dist. 5. & alii arg. cap. Ebron 2. caus. 13. quest. 2. & sic censuit Sac. Congregat. Rit. in Senogall. 15. Januar. 1663. apud Panimol. decis. 6. adnot. 3. num. 32. Et ratio est, quia maritus destinatione, & determinatione animi jam censetur esse sepultus in tali sibi electa, & destinata sepultura. Si autem maritus nondum sibi sepulturam elegerit, nec voluntatem suam circa ipsam adhuc declaraverit, uxor est sepelienda in sepulchro suorum majorum, si habeat, vel si non habeat, in parochia, ubi decedit, argum. cap. Nos instituta 1. cap. Ex p. 5. cap. In nostra 10. de sepul. cap. Animarum 1. cap. Is qui 3. & cap. Licet 4. eodem in 6. Sic cit. Doctores, & alii.
- 76 Si verò uxor remaneat vidua, & decedat, non sibi electa sepultura, quamvis habeat sepulchrum majorum, debet sepeliri in sepulchro mariti. Communis, textu expresso in cap. Ebron 13. quest. 2. ubi etiam redditur ratio his verbis: Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separaret. Et concordat cap. Unaqueque 3. ead. caus. & quest. ibi: Unaqueque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte.
- 77 Et si talis uxor vidua plures haberit maritos, sepeliri debet in sepulchro ultimi, textu expresso in cap. Is qui 3. de sepulturis in 6. §. Mulier, ibi: Mulier autem, quæ plures viros habuit successivos, si sepulturam non elegerit, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda.
- 78 Uxor vidua debet sepeliri in sepulchro mariti, etiam si locum habitacionis mutet, & redierit ad domum paternam, vel aliorum se contulerit, argum. cit. cap. Ebron 2. caus. 15. quest. 2. quia in tali vidua aliorum se conferente militat ratio ibi allegata, nempe: Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum: Tale enim privilegium est datum personæ, & non loco,

co, & mulier vidua vidualem vitam servando, censetur durare in conjugio viri. Joannes Andreas in citat. cap. Is qui 3. de sepultur. in 6. Silvester verb. Sepultura, quest. 8. dist. 5. Pirhing. lib. 3. Decret. tit. 28. numer. 12. Reiffenstuel ibid. num. 22. Don. tom. 3. tit. 9. quest. 24. num. 9. cum aliis ibi allegatis, Sperell. tom. 1. decis. 88. n. 15. cum pluribus aliis ibi citatis, Panimol. cit. decis. 3. adnotat. 3. num. 36. & alii.

Non esset tamen uxor sepelienda in sepulchro mariti, si necdum ad ejus domum fuerit traducta, & ab ipso cognita, quia in tali casu non acquisivisset ejus domicilium, nec fuisset facta una caro cum ipso, quæ sunt motiva, ob quæ ex cit. cap. Is qui 3. de sepulturis in 6. & cit. cap. Ebron 2. caus. 13. quest. 2. Uxor debet sepeliri in sepulchro mariti. Sic Doctores citati, & alii passim. Item non est sepelienda uxor in sepulchro mariti in casu, quo ob ipsius adulterium factum sit divorcium, & totalis separatio, quia tunc non est amplius de domo mariti, cum ejus domicilium juridice amiserit. Sic citati Doctores, & alii.

Uxor si moriatur prægnans, foetus in utero existens una cum matre mortuus, & non extractus, tamquam pars ventris sepelitur una cum matre in ecclesia. Si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, & mater in ecclesia. Communis cum supracitatis Doctoribus.

An autem, sicuti ex supradictis uxor debet sepeliri in sepulchro mariti, ita etiam maritus decedens, non electa sibi sepultura, debeat sepeliri in sepulchro uxoris? contendunt Doctores: Abbas enim in cap. De uxore 9. de sepulturis, num. 7. tenet affirmativam sententiam, quam sequitur, & probabilioriter asserit Reiffenstuel loc. cit. num. 24. Et ratio istorum est, quia revera eadem prorsus militat Juris ratio in marito, quæ in uxore, citat. cap. Ebron 2. caus. 13. quest. 2. adducta, nempe: "Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separaret." Ubi autem eadem est ratio, eadem quoque est Juris dispositio, eadem Inter corporalia 2. de translation. Episcop. (Lit. I. pag. 71. num. 121.) leg. Idè 27. ff. de legibus, ibi: "Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quæque personas, & ad eas res pertinerent, quæ quoadque similes erunt?" quia ut expresse dicitur in leg. Non possunt 12. ff. eodem, ibi: "Non possunt consuetudines singillatim, aut legibus, aut senatus consultis comprehendere, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is qui Jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita Jus dicere debet." Silvester verò loc. cit. dist. 5. Pirhing. loc. cit. num. 10. Donat loc. citat. tract. 9. quest. 24. num. 11. Riccius 4. part. prax. resolut. 293. num. 3. & alii partem negativam defendunt, argum. cap. Unaqueque 3. caus. 13. quest. 2. ubi solum dicitur quod Unaqueque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte, non autem dicitur è contra de viro: Tum quia absurdum est, quod maritus sequatur dispositionem uxoris, argum. leg. Si ita 45. ff. de legatis 2.

Ast hæ rationes, & Jura per Actores secundæ negativæ sententiæ adducta de facili, & recte solvuntur à Reiffenstuel loc. cit. num. 25. quia dicit ipse, licet maritus non teneatur sequi uxorem & in vita, & in morte, sicuti uxor tenetur sequi maritum, tenetur tamen maritus sequi uxorem post mortem, si non viduor citati canonis Unaqueque mulier, vigore tamen citati canonis Ebron, ob rationis, & Juris omnimodam identitatem, nempe: Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, & quos Deus conjunxit, homo non separaret: Tum quia canon Ebron majorem vim præferre videtur, utpote depremissus à Papa, nempe Gelasio, quam canon Unaqueque mulier depremissus à non Papa, nempe à S. Augustino, ut ibi patet. Nec est absurdum, quod vir sequatur dispositionem uxoris, si aut Jura ita exigant, aut uxor rationabiliter disponat. Immo est summe laudabile, & quandoque necessarium, quod maritus sequatur dispositionem mulieris, præsertim in plis operibus

ad

